DE
PLUTARCHI CONSOLATIONE AD APOLLONIUM
QUAESTIONES

SCRIPSIT

GUSTAVUS WÖRPEL
PHIL. STUD. — SEM. REG. SOD.

BEROLINI.
APUD CAROLUM SALEWSKI.
MDCCCIC.

DE

PLUTARCHI CONSOLATIONE AD APOLLONIUM QUAESTIONES

SCRIPSIT

GUSTAVUS WÖRPEL
PHIL. STUD. — SEM. REG. SOD.

BEROLINI.
APUD CAROLUM SALEWSKI.
MDCCCIC.

Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Mantissa prov. II. 6.

Postquam Benselerus in libro, quem composuit de hiatu in scriptoribus Graecis pag. 430 sqq. Consolationem ad Apollonium quae Plutarchi nomine nostram ad memoriam mansit a Chaeronensi philosopho profectam esse negavit, omnes fere viri docti illa in sententia acquieverunt. Benselerum secutus Volkmannus primum in dissertatione quae inscribitur „Commentatio de consolatione ad Apollonium Pseudoplutarchea“ Jaurav. 1867, deinde in libro, qui agit de vita, scriptis, philosophia Plutarchi vol. I. p. 129 sqq. Consolationem frigidi cuiusdam sophistae opusculum esse censuit. Quam sententiam impugnat unus Dinsius (beiträge zur kritik der trostschrift Plutarchs an Apollonius. Berlin 1874), neque tamen argumentis comprobavit opinionem, sed hanc de athetesi quaestionem in posterum distulit tempus quae quantum equidem scio nondum est foras data. Quoniam igitur adhuc sub iudice lis est, operae pretium mihi visum est totam quaestionem de integro instituere, non ut rem ad finem perducere pericliter, — cui operi imparem me esse ingenue fateor — sed ut mea pro parte veritati appropinquarem: nec frustra desudasse ac laborem consumpsisse mihi videbor, si quis his pagellis ad eandem rem denuo investigandam adducetur. Haec sunt praemonenda, ne quis opinione praeiudicata ad hunc libellum accedat; iam ad rem ipsam transeamus.

§ 1.
De fontibus.

Quicumque Consolationi ad Apollonium Plutarcheae vel mediocriter dederit operam, obstupefactus haerebit ob

multitudinem locorum ex aliis scriptoribus petitorum, ita ut philosophus Chaeronensis nihil aliud nisi fontes quos forte in manibus habebat contexuisse atque ad verbum paene expilasse videatur. Mutuatur enim hisce ab auctoribus: a philosophis Heraclito, Pythagora, Protagora, Platone, Aristotele, Crantore, Arcesilao, a poetis Homero, Hesiodo, Pindaro, Simonide, Aeschylo, Sophocle, Ione, Euripide, Achaeo, Epicharmo, Menandro, Philemone, a rhetore Aeschine. Sic omnium fere scriptorum nobilium vestigia possunt deprehendi ac perspici, iamque est in eum locum adducta res, ut Plutarchus in Plutarcho sit quaerendus. Attamen tot fontes a nostro esse adhibitos equidem vix crediderim duabus ex causis: primum quod hunc libellum iuvenili aetate scripsit, ubi non tam volutatus poterat esse in litteris, qualem eum hic novimus. cf. Wyttenbachii Animadv. in Plut. opp. mor. vol. II p. 24. Baehr. Pl. werke vol. 22. p. 294; deinde quod summa festinatione in hoc libello componendo est versatus id quod multis ex rebus potest enucleari. Quare adeo non concesserim Plutarchum hanc sententiam ex hoc scriptore, illam ex illo desumpsisse, ut potius statuam eum unum potissimum auctorem quem sequeretur ob oculos habuisse atque unum quasi ducem sibi elegisse totumque eius librum rettulisse. Quis hic sit, haud difficile est dictu: est Crantor, nobilissimus ille Academiae veteris philosophus. Quamquam latissime patent litterae consolatoriae, — Posidonius, Eudorus, Pindarus, Alcidamus, Antipho, Xenocrates, Theophrastus alii hoc ad genus pertinent — tamen omnibus excellit Crantor Solensis qui clarissimam consolationem ad Hippoclem de filii morte consolandum scripsit quam integram diem non tulisse vehementissime dolemus. A Crantore pendet Ciceronis Consolatio sive de luctu minuendo liber. cf. Plin. N. H. praef. 22; sed ne haec quidem temporis malignitatem edacitatemque effugit. Compensant vero aliquid haec damna quibus nil potest cogitari flebilius Tusculanae disputationes quae eodem iure possunt appellari „Consolationes“. In quibus Ciceronem multis partibus Crantoris vestigia pressisse

iamdudum inter omnes constat.*) Commemoratur autem Crantoris liber, cui erat titulus περὶ πένθους Tusc. I. 48. 115; III. 6. 12; V. 37. 107. cf. Acad. II. 44. 135, a Plutarcho p. 102 d, 104 b, 114 c, 115 b. Quodsi Ciceronis Tusculanas disputationes et Plutarchi Consolationem inter se comparabimus, vel primo obtutu concentus utriusque libri perspiciemus ac dubitari vix potest, quin non solum ii loci quibus Crantoris nomen est praepositum sed etiam quicumque sunt utrique communes ex illo περὶ πένθους libro desumpti sint. Nonnullis locis accidit, ut alter se Crantorem esse secutum asseveret, alter pro suis res alienas venditare videatur. In sententiis ut par est maxima intercedit similitudo; quin etiam in Ciceronis elocutione vel tiro deprehendet expressa exemplaris Solensis vestigia. Uterque iisdem exemplis, iisdem figuris, iisdem argumentis utitur quem consensum fortuito ac temere nasci non potuisse concedant qui sapiunt necesse est. Obiter commemoro etiam in dialogo Platoni supposito cui est titulus Axiochus et in Senecae consolationibus ad Marciam, Polybium, Helviam haud pauca ex Crantoris libello derivata esse.

Diogenes Laertius IV. 26 Crantorem impense Homero et Euripidi operam navasse his verbis affirmat ἐθαύμαζε δὲ Κράντωρ πάντων δὴ μᾶλλον Ὅμηρον καὶ Εὐριπίδην, unde eum scripta sua locis his ex poetis ductis exornasse liquidissimum est. Tamen in aliis quoque poetis magnopere erat versatus quod effici potest ex fragmentis quae ad nos pervenerunt. Felicissimo ingenio elegantique poeseos sensu praeditus in scribendis libris limpidos adibat poetici sermonis fontes, ita ut tamquam largis flueret undis eius oratio. Quaecumque dixit, oratorie verbisque exquisitissimis saepe vero tumidioribus elocutus est, quare nil est convenientius quam quod de eius stilo tradit Diog. Laert. IV. 25. δεινὸς ἦν

*) Falsissima protulit Kayserus in diss. „De Crantore Academico“ pag 37 qui verisimile esse negat Ciceronem eundem hunc Crantoris librum bis exhausisse. At si reputamus Tullium eodem tempore (45 a. Chr. n.) eadem de re bis scripsisse, vel necessarium existimaverim utrumque librum multifariam inter sese congruere.

ὀνοματοποιῆσαι. Quid? quod et ipse poeticen attigit carminaque composuit. Eundem veterum philosophorum notitia probe imbutum fuisse cum ex multis aliis rebus apparet, tum inde quod primus erat qui commentarios in Platonem scripsit. Procl. in Tim. 24 a. ὁ πρῶτος τοῦ Πλάτωνος ἐξηγητὴς Κράντωρ. Diog. L. l. c. καὶ κατέλιπεν ὑπομνήματα εἰς μυριάδας στίχων τρεῖς. — At iam quaerito num forte ita acciderit, ut tam multos locos Homericos et Euripideos, tam magnum vocabulorum numerum ab oratione pedestri longe recedentium, tam multas collationes similitudinesque poeticas, tam multorum philosophorum imprimis Platonis sententias in Consolatione Plutarchea inveniamus? Quod equidem nego ac pernego. Immo tota huius libelli indoles Crantorea est. Sed ut quae stutui confirmem, nonnulla proponam e quibus quomodo ex Crantore excerpserit possit intellegi conspectumque praebebo eorum locorum qui vel Ciceroni et Plutarcho communes sunt vel quos ad Crantorem referendos esse manifestum est.*)

p. 248_{11-15} (ed. Bernardakis) respondet Cic. Tusc. IV. 29. 63. cf. Sen. ad. Helv. 1, ad. Pol. 66; 249_{4} (Aesch. Prom. 379) = III. 31. 76; 249_{17-19} Crantoris esse Cic. III. 6. 12 asseverat; 249_{18}—250_{1} ex Crantore fluxisse apparet ex Acad. II. 44. 135; eundem fontem sapit $_{15-17}$ cf. III. 29. 71; 250_{1-6} latine vertitur III. 6. 12; 250_{7}—251_{1} = IV. 17. 37 sq; 254_{6}—255_{3} Theophrasti verba e Crantore delibata esse Wyttenb. p. 40 suspicatur; 259_{6-11} = III. 25. 60; l. 259_{23}—261_{10} tam vehementer a reliquo Plutarchi stilo recedit, ut Wyttenb. p. 46 haud inepte coniecisse videatur Chaeronensem ad verbum auctorem suum esse secutum. vid. Brinkmann. Quaestionum de dialogis Platoni falso addictis specimen. diss. Bonnae 1888 p. 22 sqq.; ad. 260_{21-26} (281_{7-12} ubi Crantoris nomen laudatur) cf. I. 39. 93. Lactant. Inst. div. III. 18. 18. *Cicero*

*) cf. Bleek van Rysewyk. De Crantore Solensi. Arnhem. 1837. — Kayser. De Crantore Academico. Heidelb. 1841. — Heine. De fontibus Tusc. disp. progr. Vinar. 1863, idem in praef. ed. p. XVIII.

cum in principio Consolationis suae dixisset luendorum scelerum causa nasci homines, iteravit id ipsum postea, quasi obiurgans eum, qui vitam poenam non esse putet. fragm. 1 (Orelli); 10 (Baiter.) cf. Sen. ad Pol. 29, ad Marc. 10, Axioch. 9; ad 260_{17} vid. I. 38. 91; 262_{10-18} = I. 40. 97; 49. 117; p. 265_{17}—267_{15} argumentatur scriptor de mortuorum beatitudine cuius rei exempla affert Cleobidem et Bitonem, Trophonium et Agamedem, Pindarum, Euthynoum. Iisdem exemplis utitur Cic. I. 47. 113—48. 115. eodem ordine, praeterquam quod narratiunculam de Pindaro omittit eiusque loco illam de Mida et Sileno inserit quam noster demum 281_{11} commemorat. Quas omnes fabulas etiam apud Crantorem extitisse facile apparet; utique de Euthynoo historiola Cicerone ipso teste ad eum est referenda, eodemmodo vero ceteras quoque hoc ex fonte derivandas esse Wyttenb. unicus recte perspexit. Fabulam de Sileno etiam in Consolatione Ciceronis locum habuisse pro certissimo habuit Wolfius (vorlesungen ueber die Tusk. 368); 267_{16}—268_{15} = I. 34. 82. cf. Usterii ann. ad h. l.; 267_{25}—268_{5} = I. 38. 91; 271_{1-8} nonnulli citantur versus ex Euripidis Hypsipyla petiti; latine redditi sunt III. 25. 59; 271_{9-16} = I. 45. 109; 272_{5-15} = I. 39. 94; 273_{1-3} = I. 46. 111; 274_{24}—275_{2} = III. 14. 29; 276_{1-4} = II. 27. 65; 277_{26}—278_{5} = I. 39. 93; 279_{9-11} = III. 16. 34; 279_{15-25}, 282_{23}—283_{5} Crantori tribuit Rysewyk. l. l. p. 65; 282_{1-2} = I. 48. 114. cf. Lact. III. 19. 14, cuius verba haec extant: *Cicero in Consolatione non nasci, inquit, longe optimum esse nec in hos scopulos incidere vitae, proximum autem, si natus sis, quam primum mori et tamquam ex incendio effugere vitae.* fragm. 2 (Or.), 11 (Bait.); 283_{15-21} = I. 39. 93; 284_{5-13} = III. 26. 63; 284_{27}—285_{10} optime quadrat ad ea quae de Crantoris stilo sunt nota quare equidem ei haec verba assignanda censeo; 289_{1-10} = III. 30. 73; 289_{3-4} = II. 27. 65; p. 289_{16}—292_{16} complures laudibus efferuntur homines qui aequo animo dolorem tulerunt. Similem exemplorum copiam in Consolatione collegisse se ait Cic. III. 28. 70. Hieron. in epit. Nep. (Or. IV. 490 sq., Bait. XI. 74); idem fecit

Seneca in cons. ad Marc. 13 sqq; ad 291_{14-25} cf. III. 26. 63. Quamquam quae attulit exempla non omnia e Crantore hausit Plutarchus — id enim vetat chronologica ratio — tamen illum quoque huiuscemodi collegisse exempla satis probabile est. Fortasse noster ea aut in scholis rhetoricis ubi haec decantata fuisse verisimillimum est didicit aut e libris collectaneis deprompsit ad quod ducere videtur Aelian. var. hist. III. 2—5; ad 293_{23-25} cf. V. 41. 118.

Sed ne in re quae luce est clarior sim longus, subsistam: si omnes hi loci — id quod dubitari nequit — Crantorea continent, etiam cetera pleraque huius auctoris esse evidenter evictum est. Ideo adquiescendum est ita, ut ad eundem fontem totam Plutarchi Consolationem redire, paucissima e suo ingenio addidisse profiteamur. Summopere favet coniecturae meae quod neque ulla profert noster aequalium exempla neque cuiusquam eorum qui post Crantorem librum aliquem consolatorium — qui erant permulti ac praeclari — facit mentionem. At forsitan quispiam dixerit talem fontis adhibendi rationem haud multum differre mero ab furto atque Plutarcho prorsus indignam esse: contra quod animadvertendum est veteres auctores suos non nomine laudare solitos esse quae consuetudo minime infrequenter invenitur cum apud alios scriptores, tum apud nostrum. Namque quae intercedit ratio inter nostram Consolationem ad Apollonium et Crantoris περὶ πένθους librum eadem intercedit etiam — ut pluribus supersedeam exemplis — inter libellum qui inscribitur περὶ ἀοργησίας et Hieronymum Rhodium.

§ 2.
De hiatu.

Prima eaque gravissima causa, cur Benselerus Consolationem a Plutarcho abiudicandam esse censuit, haec est quod in ea nullum vitandi hiatus studium appareat quem Chaeronensem ubique magna cura ac diligentia cavisse in volgus est notum. Et profecto si quis libellum

nostrum perlustrabit, foedissime eum scatere hiatibus reperiet. Quae cum ita sint, inquies, noli contra disputare, ne cum nimium velis probare nihil probes: tamen impavido animo viam praecipitem lubricamque ingrediar. Hoc praefari volo: unicuique rem acrius examinanti primo obtutu in oculos incurret hiatum modo copiosissime exsistere ac fere dedita opera esse adscitum veluti in capp. 9 et 14 modo perquam raro inveniri. Cuius rei equidem nullam possum aliam investigare causam nisi eam quod noster hoc in libello totus a Crantore pendet. Nunc ad rem ipsam accedamus. Hiatus igitur dicendus est is qui fit vocalium duarum concursu quarum vel utraque vel alterutra longa est. cf. Sintenis De hiatu in Plutarchi vitis parallelis epistola ad H. Sauppium. progr. Servest. 1845; id. in ed. IV 321—358. Haec tamen lex non est ea quae nullum det locum exceptioni. Neque enim offendunt hiatum efficientes articuli neque καί, ὅτι, ὡς particulae neque ἤ sive post sive ante vocales positum est neque ἐπί, ἐς, ἐν, ἐξ vacant hiatibus; quibus non minus obnoxiae sunt τι, οὐκ, οὖν, δή voculae cuius rei exempla etiam apud oratores inveniuntur. Deinde hiatus satis habet excusationis, si distinctione aliqua intercedente fit pausa; quae non modo in fine enuntiati oritur sed etiam inter protasin et apodosin, ante pronomen relativum, circum parenthesin. Nil est dicendum de sententiis adversativis cuius hiatus iustissima est ratio; ferendus est ὦ vocativus ante vocales. cf. Bens. p. 61, Hultsch Philol. XIV 292. Ante augmentum saepius noster admisit hiatum nec praebet quicquam offensionis elisio diphthongi αι in 3. pers. praes. med. v. Mueller Plutarch über die seelenschöpfg. im Tim. progr. Vratisl. 1873 p. 18. Apud nomina propria scriptores fere omnes necessitate quadam coacti summam sibi hiatus admittendi indulserunt libertatem.

Qua si scientia instructi totum librum denuo percurrimus, rem minus esse desperatam quam vulgo asseverant dilucidum est. Nam restant — nisi qui me fugit — hi tantum loci hiantes: 251_{16} θαλάττῃ εὐδίαι; 258_{25} τοιαύτῃ

ἀγωγῇ; 262_{27} ὁμοιότητα αὐτῶν; 275_{3} διακείμενοι οὐδ'; 278_{4} διελέχθη υἱόν; 280_{25} ποιῆσαι ἀγένητον; 284_{3} ἀνθρώπου ἀγνοεῖν; 294_{5} μακαρίτου υἱέος; 298_{2} σου υἱῷ; 298_{8} τοιαύτῃ ὑμῶν. At ne hi quidem loci carent analogiis quas quivis facile apud Benselerum et Sintenisium inveniet; sed quid opus est haec enucleare, cum vel in vitis parallelis quae perpolitissima Plutarchi scripta esse ab omnibus ad unum agnoscuntur haud parum saepe multo intolerabiliores obvii fiant hiatus? Huc accedit quod noster in iuvenilibus scriptis hiatus vitandi minus studiosus erat quam provectiore aetate — quae res parum adhuc cadit in doctorum cogitationem — nec non quod in Moralibus maiore admittendi hiatus libertate versabatur quam in Vitis. Nulla igitur inde potest repeti causa libelli nostri condemnandi.

§ 3.

De consociatione verborum τε καί.

Fuhrius in Mus. Rhen. XXXIII 584 sqq. hanc proponit sententiam: *die redner vermeiden ebenso wie die officielle sprache, die auf den inschriften erscheint, fast ganz die verbindung* τε καί; *unter den spaeteren schriftstellern hat* τε καί *fast ganz vermieden Plutarch, nicht bloss in den lebensbeschreibungen, sondern auch in den philosophischen schriften.* Qua re nisus cum libros Plutarcheos recenseret, talem pervenit ad exitum qualem ne ipse quidem animo praesagiverat: quid enim? verborum τε καί usus exspectatione frequentior erat. Tantum vero aberat ut vir doctus de sententia temere concepta deduceretur ut offirmata voluntate in causa defendenda omnia moliretur et tentaret. Ratio ac via istius hominis qua nil poterit excogitari infelicius est haec: iis in Plutarchi libris quos genuinos ducit omnes fere locos ubi τε καί invenitur depravatos esse existimat eosque male insulsis putidisque vexat coniecturis, at in iis qui pseudepigraphici ei videntur illud τε καὶ adeo non attingit ut magnum id facere discrimen libri cuiusdam subditicii diiudicandi contendat. Hoc igitur argumento

usus Consolationem ad Apollonium de litteris Plutarchi genuinis eximit. Quod mihi — Lucretii verbis utor — cum vanum tum delirum esse videtur. At rem ipsam examinemus. Affert hos locos: 251_{16} εὐδίαι τε καὶ χειμῶνες; 260_{20} ζωῆς τε καὶ θανάτου; 262_{8} κατοικτείρειν τε καὶ θρηνεῖν; 267_{1} ἀντιβολεῖν τε καὶ δεῖσθαι; 267_{6} χρόνου τε καὶ τὰ τῆς ἡλικίας; 276_{7} Αἰγύπτιοί τε καὶ Σύροι; 279_{21} φροντίδων τε καὶ συμφορῶν; 283_{7} διελῇ τε καὶ δυσκόλως; 288_{25} εὔθυμόν τε καὶ ἀπαρενόχλητον; 290_{4} Πάραλόν τε καὶ Ξάνθιππον; 298_{10} σεαυτόν τε καὶ τὴν μητέρα.

Hinc vero eos locos plane segregandos esse quos aliunde emanasse in professis est, quid hoc, di immortales, ad Fuhrium? Huc pertinent l. 267_{1}; 267_{6}; 279_{21}; 283_{7}. Quod autem locos 276_{7} et 290_{4} Pseudoplutarcheos suspectos vult reddere, planum facit quam misere sit in rebus grammaticis versatus quippe quod τε καὶ sexcenties inter duo nomina propria positum reperiatur. cf. Num. 13, Nic. 6, Crass. 25, Sert. 14, Alex. 2, 18, Caes. 21, 61, Flam. 1, Dion. 52, Brut. 28*). Qui restant loci duo in genera sunt disponendi, si recte ratiocinatus sum, quorum exempla cum apud oratores tum apud nostrum ubivis nobis sunt obvia. Ac primum quidem servit illud τε καὶ duobus vocabulis quam arctissime copulandis vel synonymis vel unam efficientibus notionem ita ut quodammodo quae vocatur figura ἓν διὰ δυοῖν sit statuenda 262_{8}; 279_{21}; 288_{25}. cf. Alex. 20, 62, Crass. 5, Nik. 24; Antiph. Λ. δ. 7, Γ. α. 6, γ. 1, Andoc. II. 7, Aeschin. I. 57. Deinde in disiunctionibus usitatissimum est quibus duo plerumque in contraria abeuntia verba quorum saepe alterum vel utrumque pronomen personale est efficaciter opponantur 251_{16}; 260_{20}; 298_{10}; Brut. 31; Dem. de cor. 227, Andoc. περὶ μυστ. 41, Isae. 2_{36}, 5_{13}.

Pellucet ne flocci quidem esse pendenda quae Fuhrius nimis inconsiderate nostro de libello sit hariolatus; itaque ad graviora me accingam.

---

*) Fuhrius hoc eo magis cognoscere debebat, quod ipse coacervavit exempla!

§ 4.

De compositione.

Wyttenbachius, Usterius, Benselerus, Baehrius Plutarchum in Consolatione non adstrinxisse se ad certas disponendi leges, sed futile esse eius libri argumentum affirmaverunt quae res viris criticis (an dicam hypercriticis?) commodam praebebat ansam ad spuriam Plutarchi auctoritatem demonstrandam. Verumtamen scriptorem non sine ullo ordine singula protulisse, quamvis plus quam semel eundem ad locum reverteretur diversisque locis ea proponeret quae uno eodemque loco comprehendenda essent iam Volkmannus — qui ceteroquin haud feliciter nostro in libello pertractando versatus est — in progr. supra laudato p. 5—7 exponere studuit; sed ne eius quidem disputatio animo meo satisfecit, cum non ad liquidum perduxerit utrum noster singula arrepta in compagem dissolutam temerariamque redegerit an dilucida aliqua disponendi ratione usus sit. Itaque videamus quomodo Plutarchus hunc librum composuerit.

Ac primo et secundo quidem capite alloquitur Apollonium qui filium praematura morte sibi ereptum esse vehementissime lugebat, simul affert causas quibus adductus hanc consolationem contexuerit et cur hoc scriptum ad id temporis in scriniis detinuerit. Iam vero c. 3. ad propositum aggreditur. Materiam scite divisit duas in partes quarum in priore (3—15) in universum disserit de morte, in posteriore (16—36) specialiter praematura de morte. Utraque pars aeque conformata est: priusquam enim solatia ipsa affert, Apollonium eorum sensu imbuit atque efficit ut facilem se praebeat suscipiendis verbis consolatoriis. Hoc tenentes singula uberius persequamur. Ex morte filii dolorem aegritudinemque concipere, incipit noster, cum non sit positum in nostrae voluntatis libertate, ratio praecipit ne aut effeminatis animis dolori nimis indulgeamus aut prorsus hebetes et obtusi nullo modo animi motus sentiamus. Sapientis ad nostrae vitae vicissitudines

probe sciteque parati est penitus animo mentique mandare hominem mortalem vanitatisque vanitatem esse, caduca et in diem durantia corpora, fragiles fortunas et affectiones, denique nihil ab omni parte beatum. Quid igitur mirum quod homo recte institutus mortem non modo non pro malo habet verum nil posse accidere felicius hominibus existumat quam mortem? Nonne est letum nobis cognatum et familiare, nonne vita fatale est debitum, nonne quae causa nobis ostendit claram solis lucem eadem ad Cocytum tenebris circumfusum nos cogit? Quid? quod ex animo bene voluit nobis natura quippe quae prudenter futuri temporis exitum caliginosa premat nocte ne si praenossent maerore contabescerent homines formidineque mortis mortem precarentur. His omnibus perpensitatis non lubet deplorare ac lugere defunctos, immo eos quotidie laudibus efferamus necesse est, quoniam omnibus miseriis et aerumnis vitae sunt liberati. Atque huc pertinet etiam Socratis divini sententia qui mortem aut placidissimo somno esse similem aut longinquae ac diuturnae peregrinationi aut denique resolutioni et animi et corporis. Quid multa? dii ipsi mortem expetendam esse testificantur quandoquidem multos homines pietate egregios morte quasi amplissumo pulcherrimoque munere donaverunt. Hucusque pertinet prior pars, sequuntur de praematura morte disputationes. Quarum initio distributio materiae paululum turbata est*); nam sententiis generalibus praemittit hoc unum solamen: ne immaturam quidem mortem aegre feres dummodo tecum reputaveris veram vitae mensuram non esse temporis longitudinem sed bonum honestumque. Deinde pergit: duplex est ratio maerendi, spectat enim luctus aut ad mortuos aut ad nos superstites; hoc est obiurgatione dignum quod dolor nonnisi nostram utilitatem non defunctos respicit,

---

*) At sibi proposuisse nostrum ut demum a cap. 24 solatia ipsa proferret, luculenter apparet ex ipsius verbis *δῆλον οὖν ὅτι καὶ ὁ λεγόμενος ἄωρος θάνατος εὐ παραμύθητός ἐστι διά τε ταῦτα καὶ τὰ προειρημένα ἐν τοῖς ἔμπροσθεν.*

illud supervacaneum est — de mortuis enim bene est actum — et absurdum, nam ratio flagitat ut mala quibus luctus est annumerandus quam maxime diminuamus. Neque id quicquam habet momenti quod praeter omnem spem casus evenit cum quivis eruditus tale quid aequo animo prospicere et possit et debeat. Quod autem subita morte ereptum ideo esse dicunt deflendum quod nulla iis ex rebus quae vitae nostrae bona habentur voluptatem perceperit, id falsissimum est: nam exiguo nos superstites illi tempore praecedunt ac nihilo plus obtingit qui serius quam qui citius ad inferos perveniunt. In capp. 24—36 specialia mortis praematurae solamenta proferuntur. Atque initium capit noster inde ut exanimi sortem beatam esse affirmet quod effugerit miserias et sollicitudines quae omnibus diuturniorem vitam sortitis perferendae fuerint. Omnino quid habet commodi vita? quid non potius calamitatis? itaque

μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νι-
κᾷ λόγον · τὸ δ' ἐπεὶ φανῇ
βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥ-
κει πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα.

Nec non deliberare oportet nos vitam ea tantum accepisse condicione ut redderemus quando repetet cumque creditor. Quod qui semper in animo volvit, facile se ad omnes quos fert vita casus poterit accomodare. Iam vero quis novit an deus paterna providentia ac cura generis humani futura prospiciens multos avocet praematura morte? quem dii diligunt adulescens moritur. Nec minus efficax doloris levamen est si intueris in eos qui intempestivas liberorum mortes generose fortibusque animis pertulerunt. Quod ne id quidem immortales concesserunt ut filius ossa patris de vita defuncti tumulo contegeret, ea quidem humana est ratio, ast longe secus collibuit coelicolis quos incusare nefas est. O fortunate adulescens qui cum ex hac turba et colluvione discesseris, in illud divinum animorum concilium coetumque proficiscaris! qui qua eras integritate nullis humanis vitiis inquinatus nullis libidinibus deditus

ab omnibus praedilectus ex hac mortali vita tamquam e convivio digressus divorum amicus piorum tenes regna, coelesti frueris felicitate, quot quantis quam dulcibus afficeris delectationibus! — Ut finis prioris partis loco ex Platone petito tamquam diadema accepit, ita posterior quoque pars versus finem Platonicis sententiis amplificata et exornata est. In peroratione (c. 37) hortatur noster Apollonium ut honesti et generosi viri animum recipiat finemque faciat lugubrium lamentationum.

Ex iis quae exposui satis effulget Plutarchum haudquaquam insollerter in nostro libello componendo versatum esse. At fac mancam esse et vagam materiae distributionem, tamen id minime sufficit ad probandam scriptoris auctoritatem, siquidem multis aliis iisque genuinis scriptis idem accidit qua de re copiosius egit Siefertus egregia in dissertatione De aliquot Plutarchi scriptorum moralium compositione atque indole. Jenae 1895. Quicumque tale quid nostro libello vitio vertunt prorsus obliviscuntur Consolationem in epistolarum genere esse numerandam quibus in scribendis omnes omnium temporum homines liberiore dicendi ratione usos esse quam in componenda commentatione philosophica vel in oratione habenda vix est quod moneam. Recordare etiam sis quae noster optimo in libello περὶ εὐθυμίας p. 465 dixerit.

Uno verbo addam me quidem nescire an non in disponendo proprio sit usus consilio, ac non potius subsit a Crantore adhibita dispositio. At haec missa faciamus, iam pedem proferamus.

§ 5.

De fide historica.

p. 289_{16}—292_{16} adumbratur sententia homines luctus minuendi causa oculos a se avertere et ad alios convertere oportere. Imitandos proponit cum alios tum Demosthenem, Dionem, Periclem. Quae Consolationis particula plurimum exhibuit viris doctis negotii, cum noster hic in nonnullis haud leviter discrepet ab iis quae tradidit in vitis parallelis.

Quam attulit Wyttenbachius explicatio nimis contorta est neque habet ullam veritatis speciem, Volkmannus nodum quasi gladio dissecuit novum inde argumentum petens quo Consolationem ab alio atque a Chaeronensi profectam esse liquido appareret. In quibus me quidem minime habet adstipulantem. Ac primum quidem in Pericl. vita c. 36 refert Pericli filium, sororem, cognatorum plurimos pestilentia esse ereptos; quod aequo tulisse animo egregium virum, donec Paralum unice ex filiis genuinis superstitem sepulcro condidisset. Tum vero luctu victum plorasse et in plurimas prorupisse lacrumas quod nemo umquam in illo vidisset. Contra in Consolatione tradit Periclem ubi filios de vita decessisse accepisset nihilosetius in re publica administranda versatum et Athenienses ad bellum esse exhortatum. Ne labar longius, discrimen narrationis in ipsius rei natura est positum. Etenim si haec fabula huius libelli proposito conductura esset, in talem eam immutare ac convertere debebat ex qua Apollonius solamen posset haurire. Ea ratione historiuncula est exorta qualem nunc legimus: eam culpare est eam non intelligere.

Eodem prorsus modo res sese habet in iis quae de Dione narrat in vitae Dion. c. 55 coll. 291_{6-13}. Denique Volkmannus alium est odoratus locum quo Plutarchus manifesto a se ipse dissideret. In vit. Dem. c. 22 tradit Demosthenem audita regis Philippi morte splendida veste in publicum prodiise et coronatum idque septimo die post filiae obitum. Tunc vero extitisse Aeschinem vehementissime in eum invehentem propter exiguum erga filiam amorem. In Consolatione ad Apollonium ne uno quidem verbo laetitiae interitu Philippi motae facit mentionem, sed nonnisi quanta fuerit eius animi aequitas in ferenda filiae morte pronuntiat, simul haud ambigue criminationes ab Aeschine adversario allatas repellens. Quae eadem excusatio etiam in vita Dem. recurrit, ubi nostrum Consolationis locum scriptoris animo obversatum esse equidem persuasum habeo. Quodsi Volkmannus fidem historicam aegre desiderat, prorsus eum fugit Plutarchum hic non rerum scriptorem

qui omnia accurate in commentarios refert, sed mitem consolatorem humanumque doloris lenitorem sese praestare.

§ 6.

De personis Apolloniorum.

Volkmannus crimini vertendum esse Plutarcho censet quod parum personas respexerit et eius de quo sermonem instituit et eius ad quem sermonem instituit. Hoc vero minime recte sese habet. Nam cogita quaeso Plutarchum munus Apollonii de morte filii consolandi obiise: iam intelliges ne tantillum quidem patri laudem ad ipsius mores et dignitatem spectantem ad dolorem consopiendum expedituram fuisse. Quod autem idem reprehendit quod nihil legimus de ratione qua iam ipse Apollonius alias suorum clades pertulerit, hoc ridiculum est. Quonam tandem modo potest scire Volkmannus utrum Apollonio iam ante cognati aut liberi aliqui sint erepti necne? Hoc est nihil aliud nisi Plutarchi fungi muneribus alienamque exercere artem. Chaeronensis est arbitrio permittendum ut scribat quod quotque vult an Volkmanni? Quod attinet ad alteram vituperationem quod noster parum de filio defuncto protulerit, satis, ne dicam nimium, dictum est de eius virtutibus in cap. 34. Quid enim erat amplius addendum de peradulescentulo qui nondum ex ephebis excesserat neque munere publico erat perfunctus neque ad bellum profectus?*)

§ 7.

De testimoniis.

Benselerus coniecturam de falsa Plutarchi auctoritate prolatam ea quoque re adiuvari putat quod Consolatio nostra a nullo veterum diserte commemorata sit; quod toto ut aiunt coelo distare a vero iam Volkmannus recte perspexit. Etenim hoc ei cum multis aliis Plutarchi scriptis commune est quae in suspicionem adducere nemini adhuc in mentem venit. Qui dicitur index Lampriae sub num. 111

*) at cf. § 8.

(Bern. VII. 475) exhibet Παραμυθητικὸς πρὸς Ἀσκληπιάδην qui liber Wyttenbachio diversus fuisse a nostro est visus, alii contra atque rectius mea quidem sententia Ἀσκληπιάδην immutandum esse in Ἀπολλώνιον existumaverunt. Nec profecto fieri potest quin illud Ἀσκληπιάδην quod prorsus in tenebris est per errorem irrepserit; ceterum cavendum est ne nimis tribuamus illi Lampriae catalogo ex scriptorum Plutarcheorum excerptis confecto*) cuius fides iure ac merito in dubium est revocata. Silentio haud praetereundum censeo in codice Parisino D n. 1956 titulo Παραμυθητικὸς πρὸς Ἀπολλώνιον nomen Πλουτάρχου praepositum inveniri, sed ne hoc quidem per se magni est momenti. Utique ex silentio veterum nil de Plutarcho eius libelli auctore colligendum est.

§ 8.
Conclusio.

Quoniam singula argumenta quibus commoti viri docti Consolationem ad Apollonium Plutarcho abiudicandam esse censuerunt integro spero examinavi iudicio et ad irritum redegi, iam calculis subductis summam faciam: in libello nihil inest quod a Plutarchi ingenio sit alienum, etsi nonnulla reperiuntur quae minus sunt laude digna. At fuit iuvenis cum hoc scriptum componeret cui multa condonanda sunt. Nullis vero aliis auxiliis ad scribendum aggressus est nisi quod unum sibi adscivit Crantoris librum περὶ πένθους quem Plutarchum ita in usum suum convertisse ut ad verbum paene eum expilaverit in propatulo est. Nonnulla quin paucis addam temperare mihi non possum. Mihi enim Consolatio ad Apollonium commentatio scholastica ad se exercendum composita, Apollonius vero ad quem hae litterae consolatoriae datae sunt persona ficta videtur esse. Maximopere favet opinioni meae quod *nec huius Apollonii nec omnino Apollonii cuiusquam ut aequalis et familiaris sui in reliquis scriptis meminit Plutarchus.* (Wytt.) Fortasse Consolatio nostra eos inter libros referenda est

*) cf. Schaefer. comm. de libro vitt. X oratt. p. 14.

qui ad certum finem non deducti haud sunt facti publici iuris. Nimirum haec est mera coniectura quae nulla potest re stabiliri. Sed quomodocumque res sese habet libellus est aureus neque indignus quem Plutarcho vindicemus — quodsi in hoc erro (Ciceronis verbis uti mihi liceat) libenter erro nec mihi hunc errorem quo delector extorqueri volo — ac qui nimia ingenii confidentia correpti eum Plutarchi possessione derogant caveant ne sibi succenseant manes philosophi Chaeronensis!


Buchdruckerei von Carl Salewski, Berlin C.,
Neue Friedrichstrasse 44.